

CHRISTE
106.

ANACLETI PAP.
4.

TRAIANI IMP.
7.



(A)



(A) Ex Museo Latio Pasquali Canonici S. Mariae Majoris, 119 Vrbe.

opus plane admirabile, nec antea visum: qua, in hanc usque diem divina providentia, ceteris fere omnibus nobilibus Urbis antiquis monumentis barbarica manu vel terræmotu dirutis atque prostratis, vel saltem quasatis, integra permanente: hoc ipso anno, quo hæc nostra prælo mox subiicienda describimus, Sixtus V. Pontifex Maximus, super ejus verticem, præclarissimum Christianæ religionis monumentum, Principis Apostolorum Petri ingentem æneam magna impensa studioque constatam statuam, inauratamque, sacris ritibus solemniter collocavit.

II.

At antequam Traiani columna confurgeret, erant Petri trophæa Romæ conspicua: ejusdem namque memoria nobilis in Vaticano fulgebat. Anacleto enim (ut antiquæ Ecclesiasticæ tabulæ (b) habent) cum adhuc presbyter esset, construxit atque composuit desuper ejus corpus; velut trophæa victoriæ, insignem claræque memoriam: quam quidem (quod admirationem omnem superat) non valuit turbo persecutionis aliquo modo prosternere; sed & perseverasse in posterum, majoribusque in dies accessionibus gloriæ auctam affirmare videtur Caius antiquus Theologus

(b) Lib. Pont. in Anacleto. Petri trophæa & Pauli.

(c), qui eodem sæculo claruit, nempe Zephyrini Papæ temporibus: immo non Petro tantum erectam memoriam fuisse celebrem, sed & Paulo, tradit, easque trophæa Apostolorum appellat, sic dicens: Ego Apostolorum trophæa perspicue possum ostendere. Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam, que Ostiensis dicitur, te conferre; trophæa eorum, qui istam Ecclesiam suo sermone & virtute stabilierunt, invenies. Hec Caius.

(c) Apud Euseb. Hist. lib. 3. c. 24.

Quod igitur habet liber de Romanis Pontificibus in Anacleto: Hic B. Petri memoriam construxit atque composuit; per memoriam non nisi ædificii structuram designari constat, quam olim antiquitas usitatius dicere Ecclesiam consuevit: nam & Augustinus (d); Nos, inquit, martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; quas merito Caius trophæa appellat, quippe quæ victorias sanctorum de subactis hostibus representent. Ceterum columnam hoc anno construi cœptam, non nisi ad sextum ejus Consulatum fuisse absolutam, inscriptio in ea incisa declarat.

III. De memoriis Sanctorum.

(d) Aug. de Civit. Dei lib. 22. c. 10.

Cen-

Traianam, quæ etiamnum Romæ visitur; & cuius hoc anno Nummum exhibet Baronius, in quo Consulatus tantum sextus exprimitur, præfenti anno non erecta; cum Traianus anno tantum CXII. Consulatum sextum inierit. Ea itaque anno tantum CXIII. Traiano posita, ut legitur in basi ejusdem Columnæ in medio Foro Traiani; SENATUS. POPULUSQUE ROMA-

NUS IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF. MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P. AD DECLARANDUM. QUANTAE ALTITUDINIS MONS. ET. LOCUS. FANTIS RUDERIBUS. SIT. EGESTUS